

00

10  
Br.

U.q.19,3



32

DISSERTATIO  
DE  
**O R I G I N E**  
**E T P O T E S T A T E**  
**M O D E R N A E L E C T O-**  
**R U M I N I M P E R I O R O M A N O -**  
**G E R M A N I C O .**

*Quam*  
**S. S. Benedicente TRIADE**  
*Consensu & Authoritate Amplissimæ Facultatis*  
*JURIDICÆ*  
**P R A E S I D E**  
**C L A R I S S. E T C O N S U L T I S S I M O V I R O**  
**D N. D O M I N I C O A R U M A E O ,**  
J Cto eximio, & in Acad. Jenensi Antecessore, ejus-  
demq; curiæ Provincialis & Scabinatus Assessore  
longè digniss.

*Publicæ examinationi demissè offert*

*Ad diem XVI. Aprilis.*

**M I C H A E L S c h i f e r e r C A R P O N A - P A N N O N I U s , &c.**

Turpe est patritio & viro nobili causas oranti, jus, in quo versatur, ignorare,  
I. 2. §. 43. ff. de O. I.

*J E N Æ*

**T Y P I S J O H A N N I S W E I D N E R I , A N N O 1 6 1 4 .**





*Illustriſſ. ac Celiſſ. Principi ac Domino,  
DOMINO*

**JOHAN-ERNESTO**  
**JUNIORI, RECTORI MAGNI-**  
**ficientiſſimo, Duci Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ**  
**& Montium, Landgravio Thuringiæ, Marchioni**  
**Misniæ, Comite de Marca & Ravenspurg, Domino**  
**in Ravenſtein, &c. Domino meo Clementiſſimo.**

*Illustriſſ. Comiti, & Dom. Dom. Comiti*

**GEORGIO THURZOO de Bethlem**  
**ſalva, Comiti perpetuo Aruens. &c. Palatino Regni**  
**Hungariar. & Judici Comannorum: nec non Sacr. Cæſar.**  
**Majestatis Consiliario intimo, & in Hungaria Locum tenenti, &c.**  
**Domino & Patrono mihi gratioſiſſimo.**

*Illustri ac Generoſo Domino, Domino*

**SIGEFRIDO à Kolonitsch L. Baroni in Burgſchleß**  
**nitz / Haindorff / Idungſchen / Grosschützern / & hæreditario**  
**possessori Arcis Levæ, Equiti aurato, Agazonum Regal. in Hun-**  
**gar. Marschallo; nec non Sacr. Cæſar. Majestatis Consiliario**  
**Bellico, partiumq; Hungar. cis Danubium Generaliss. ac Præ-**  
**fidiī Vivar supremo Capitaneo; Sereniss. D. D. Matthiæ**  
**& Maximiliani Archiducum Austr. Cubiculario, &c.**  
**Domino & Patrono mihi gratioſiſſ.**

*Generoſo ac Magnifico Domino*

**CASPARO TRIBELL à JARISCH in IBANOWITZ,**  
**Hæreditario Arcis Lipschensis &c. nec non Sacratiss.**  
**Cæſar. Majestatis à Consiliis folertiſſimo;**  
**Domino & Patrono meo plurimum gratioſe.**

S. P.

**D**UDOVVICUS Rex Ungariae, Illustriss.  
ac Celsiss. Princeps, Dux Saxon. &c. Illustriss. Ge-  
nerosi ac Magnif. Dn. Dn. &c. quondam Franciscum Episcopum  
Varadiensem interrogavit; Num literas armis, vel hæc illis præponeret? cum  
Alphonso Rege Arragonie masculè respondit, armatæ quidem militiae de-  
debito dignitatis atq; excellentiæ sue vigore nihil quicquam detrahens, to-  
gatæ verò longè eminentiorem tribuens autoritatis gradum ac prærogati-  
vam; cum hæc perficiat animum, perpetuam gignat felicitatem & in ar-  
ma imperium habeat, (Novel. 25. c. 5. in f.) omniaq; prius verbis docet  
experiri quām armis; at illa tantum in externis est occupata, habiles quidem  
reddi corporis vires, dum tractatur: verum in suscipiendo bello, re minus  
probè considerata, cœco quasi impetu in nervum prorumpit, necemq; crepat,  
& summa imis non nisi humani sanguinis profusione incautè miscet; nec  
minus eleganter Cic. hac de re differens, ubi ait: Non velocitate, nec cur-  
su res magnas geri, sed autoritate, consilio, & prudentia. Ubi ergò h. duo  
q. fulcra A R S, M A R S se mutuò respiciunt, ibi non tantum perfectum  
& absolutum arguunt hominem, verùm etiam insigne ornamentum præ-  
bent; quo augustè alludit Imperat. Justinianus (in pr. proœmii. Instit.)  
Imperatoriam, inquit, Majestatem non solùm armis decoratam, sed etiam  
LL. oportet esse armatam, ut utrumq; tempus & belli & pacis rectè possit gu-  
bernari. Hæc autem omnia cum ex utraq; parte in Illustriss. ac Celsiss.  
Principe &c. Illustrib. Generosis, ac Magnif. Dn. Dn. &c. Heroicè efful-  
geant, vel ipse hostis experitur, hanc meam elucubrationem sub vexillo Pal-  
ladis contextam, de origine & potestate Electorum Sacr. Rom. Imperij, in-  
debitæ observantiæ symbolum & studiorum Iepuñ & ovo inscribere & volui &  
debui, demissè rogans, ut quām in benè metendo, eandem in eo quoq; quod  
rependitur, accipiendo, humanitatem mihi præstare, & me studiaq; mea  
vobis ò Patres patriæ commendata habere dignemini; verisimè enim Plini-  
us; Nulli tam clarum statim Ingenium esse ait, ut emergere possit, nisi ei ma-  
teria, occasio F A U T O R & M E C O E N A S contingat, Vale.

Tuæ Celsitud.

V. Illustri. Generos. ac Magnif. Dominat.

omni fide & obsequio obstrictiss.

Michael Schiferer/Aut. & Resp.






## Nobiliss. Dn. Respondenti.

**N**unc iterum adscendis tritam Schiferere cathedram,,  
Huc stravit licitam sedula cura viam..  
Ductor is est, quem si genio pellace sequaris,  
Nostratis poteris intima nosse status.  
Laudo operas, studiumq; tuum, quod sic benè, constat.,  
Dum cum privatis publica jura teris.  
Sic fiet, messe, ut Themis uberiore refundat.,  
Vicini quidquid diripuere Getæ.  
Virtuti & generi nil improba demere Enyo.  
Adjicere at multum Pallas amica potest.

adponebat L. M. Q.

Johannes Gryphiander  
Histor. P. Profess.




**P**ublica cum magnum teneant jam temporis usum  
jura, quibus sine Res publica tota jacet;  
Non ergò immerito privati publica jungis,  
Cum neutro possit ritè carere forum.  
Perge bonis avibus sic gaudia summa creabis  
Et Patri & Patriæ, laus fluet inde tibi.


Contubernali suo nimium dilecto

lubens apposuit

Guilelm-Fridericus à Rostleben/

Eq. Thur.





IN NOMINE DOMINI NOSTRI  
JESU CHRISTI AD OMNIA CONSILIA  
OMNESQUE ACTUS FELICITER  
PROGREDIMUR, l.z.C.d.off. Praef.  
prætor. Afr.

THEISIS I.

**N** Imperio Romano-Germanico summo DEI munere inter cœtera  
αἰώνια præfulgent Electores, qui ab Impp.  
elegantiss. titulis jure meritoq; insigniuntur:  
& imprimis in A.B. Caroli IV. tit. i. palmites  
Imperiales, septem Candelabra lucentia in  
unitate Spiritus septiformis, quibus sacrum illuminari debet Imperium:  
nec minusverè latera, solidæq; bases & propinquiora  
Cæsaris membra nuncupatur.

II.

Quantum autem beneficium Imperio Rom. ab ordine illius.  
usq; huc præstitum sit, omnia membra Imperii agnoscent,  
& ingenuè profiteri possunt, hujus consilio, ut & opera fidelis  
Majestatem Romanam sartam teatam contra furorē exterorum  
Principum, & rabiem imprimis Pontific. Rom. conservatam esse.

III.

De authore instituti ordinis Septemviralis, etsi gens est conflictus scriptorum; magno tamen consensu tam Germanici quam Italici scriptores Ottoni III. Imperat. ex nobiliss. Saxonum Angrivariorum Ducum suam gentilitiam originem trahens, Zisn. in Orat. Otthonis III. Imperat. ambabus quasi manibus institutionem tribuunt.

IV.

Nullā itaq; habitā ratione quorundam judiciorum, quæ magna

A

gna

gna diligentia concessit Heigius part. i. quæst. 3. veriorem & per-  
vulgatiorem opinionem multorum Historiographorum arripi-  
endo asseveramus Ordinem VII. Electorum primum ab Ottho-  
ne III. circa annum 996. decreto communicato à Gregorio V.  
Pontif. Roman. sancitum, & bonis avibus introductum fuisse,  
Marsil. Patavin. d. translat. Imperii, l. n. Lupold. d. Bebenburg. d. I. Regni  
& Imperii. Schard. d. Elect. orig. c. i. Knichius d. I. Sax. non provoc. v. Elec-  
torum. c. i. Zisn. in Orat. Ottonis III. Paurmeist. l. 2. d. I. dict. Rem. Im-  
per. c. 2. & quod major pars concludit, minor tenetur approba-  
re, l. 19. ad Municipal.

## V.

Finis hujus rationabilis Institutionis censetur esse, ut in fu-  
turum non per sanguinis successionem Imperii dignitas ducere-  
tur, sed per Imperii Officiales Imperat. deligeretur, Marsil. Pa-  
tav. d. translat. Imperat. Schardius de Elect. Germ. Princip. c. i. cuius ele-  
ctionis omnium primum Conradus I. Imperat. particeps factus,  
Onuphr. Panvin. de Comitiis. & magis de utilitate Reipub. est per  
electionem promovere Principes ad fastigium Imperii quam per  
successionem; quia virtus semper certior Dux quam natura, quæ  
nulla stirpis habita ratione sua partitur dona, Keck. l. 1. Syst. Polit.  
c. 4. Schönborn. in Polit. l. 2. c. 1.

## V I.

Quo v. concordia in electione servaretur, nominati sunt tres  
Germaniæ Antistithes, Ecclesiastici, Principes Imperii, Archican-  
cellarii, Moguntinus ut reb. Germaniæ, Colonensis Italiae, Tre-  
virensis Galliæ & Regno Arelatensi præsent, inque iis officia  
sua exercearent. His additi sunt 4. seculares Principes, qui & ipsi  
munia sua Cæsari, Palatinus Rheni ut Dapifer, Saxon. Dux ut Ar-  
chimarschallus, Marchio Brandenburgens. ut Camerarius, Dux  
Bohemiarum ut Pincerna Imperii gnaviter exhiberent, Lupold. à Be-  
benburg. de I. Regni. c. 2. Schönborn, l. 5. Polit. c. 6. Paurmeist. l. 2. de I. d. c. 1.

## VII.

Et ne cui mirum videatur quod Antistithes tres Electores  
in hoc quoque sacrum Consilium asciti sint, sciendum est insti-  
tutionem horum trium Electorum ab Immpp. sanâ ratione  
factam,

factam, ducti namque zelo fidei & religionis, quos vè ab initio  
à temporibus Caroli Magni, posteaquam inaugurationi & con-  
secrationi Impp. præfuisse historiæ testantur, *Heigius part. I. q. 4.*

### VIII.

Pari fato in Romana Repub. licuit Sacerdotibus & religio-  
sis versari: imo cum Regno & sacerdotio quandoq; conjunctum  
Imperium habere, *Ærod. rerum iudicat. l. 1. tit. 4. c. 1. & 2.* sit Mel-  
chisedech Rex & Sacerdos, sed in figura Christi, sit Heli Sacer-  
dos & Judex populi, sint Sacerdotes Politicis vestibus ac mune-  
ribus aliquando donati; illis tamen maximè convenit, ut h. læva  
non dextra teneant, sibi que privilegio data non debita simpli-  
citer ex officio putent; *Casus l. 1. Sphær. Civitat. c. 15.*

### IX.

Nec dissimili ratione apud Franciæ Regni moderatores in  
constitutione XII. Parium à Ludowico Rege juniori Anno 1179.  
Sacratiſſimè creati, Ecclesiastici secularibus adhibiti leguntur,  
*Hottom. in Francogall. c. 17.* Pares autem propterea dicti, non  
quod Regi, sed quod inter se pares sint, Septemviratui Roman.  
Imperii similes quoad sustinendum Imperium, non verò quoad  
electionem Imperat, aut Regis, cum regnum Galliæ ex familiae  
ordine ad proximum quemque pervenit, *Johan. Tilius de reb. Gallic.  
l. 2. tit. de Parib. Gall.*

### X.

Ac proinde sincerè asseverandum veterum Principum in  
religione magnam fuisse devotionem, tantam sanè, ut sine sa-  
cerdotibus & Episcopis nihil magnum feliciter se absolvere  
posse sperarent, & ita deum rectè omnia processura crederent.  
Si religionis antistithes suis consiliis præsentes haberent, *Heigius*  
*part. I. quest. 4.*

### XI.

Præmissa brevi & succincta delineatione primordii Electorii,  
fugientes judicia multorum autorum, & amplectentes ea, quæ  
magis veritati consona videntur, transimus ad potestatem Elec-  
torum, maxima ex parte in electione & degradatione Cæsaris  
consistens, *Schönborn. in Polit. Rubric. c. 33. & 34.*

A 2

XII. Cum

## XII.

Cum duo sint modi, per quos Imperium legitimè transfertur. Electio videlicet & successio, uterque subinde in Republ. Romana à prima Cæsarum origine usitatus; Electio quidem, ut natura prior & antiquior: ita & utilior est, teste Aristoteli. 4. Polit. ii. quia optimum quemq; Electio invenit, Tacitus i. Histor. 2.

## XIII.

Sed successio ipsi Principi melior est, quoniam magis firmum ac diuturnum ipsius reddit Imperium, pro qua successione, Lips. 2. Polit. 4. Bodin. l. 6. d. Repub. 5. & 2. d. Rcpub. 3. Kirchn. disp. 4. thes. 2. disputant.

## XIV.

Unde omnibus modis studuerunt primi Cæsares Imperium in sua domo firmare, ob quod si liberos genuinos non haberent, alios ad Imperium adoptarunt; sicuti Julius Cæsar Augustum hæredem instituit, Augustus Tiberium adoptavit, hic vicissim Drusum; Hinc hæredes Seneca vocat, adminicula Augusti, Suet. subsidia aulæ; Plinius subsidia Dominationis, Clapm. l. 2. c. 21. d. arcana Rerumpubl.

## XV.

Nostrum enim Imperium quod Electitum sit, abundè elucescit, & quod Electoribus jus eligendi Cæsarem competit, nullum est dubium, c. per venerab. extr. de Elect. A. D. tit. 7. non quidem unius aut pluribus, sed toti Collegio; & proinde habenda eorum electio est, ac si à tota universitate Principum & populi, à quibus in ipsos ea potestas translata est, facta esset, argum. l. item cur. §. si Decur. ff. quod cuiusq; Univers. nomine &c. c. ult. d. præbend. in 6, Lupold. à Bebenburg. d. 1. Imperij. c. 6.

## XVI.

Parùm altius jus electionis dimicentes, Historiographi hanc ansam nobis suppeditant scribendi, illud nempè primitùs penes Septemviros absolutè non fuisse, Schard. d. Princip. instit. c. 9. Dresser. contra Bellarm. d. translat. Imperat. sed procedente tempore, & ante ætatem Caroli IV. attritis per bella civilia familiis Suevicis, Franconicis & aliis; cumque furor & rabies Pontificum erga Imp.



Impp. Rom. magis magisq; ex ardesceret tum demum sensim ad  
solos septem modernos eligenda potestas consilio Imperat. &  
voluntate Procerum devoluta esset, colligitur. Cisn. in Orat. d. Ot-  
thone III. Imperat. Heig. part. i. quæst. 3.

### XVII.

Initium hujus translationis & mutationis colligit Dn. Frider.  
Hortleder. Fautor meus plurimum colendus in disputat. ad Schleid. thes. 7.  
ex Brunone Saxone historico, & sub turbulentio Heinrici IV. Im-  
perat. statu potestatem illam in Imperat. invaluisse affirmat.

### XIX.

Constat ex superioribus absoluta Electores Imperii potestate  
gaudere in eligendo Imperat. Electorib. a. Archiepiscopis velut  
privilegium personale jus electionis concessum est, nempè ut qui  
legitimè ad unam ex Metropolitanis sedem assumptus fuerit,  
tām diu jure illo fruatur quam diu vixerit. At Laicis jus eligen-  
di hæreditarium est, & ubi primogenitus filiorum defuncti Ele-  
ctoris vel si hic sine filiis decesserit ad propinquiores fratres vel  
agnatos hæc serenissima dignitas devolvitur, Onuphr. Panvin.  
d. Comitiis.

### XIX.

Et licet tres ordines ad Comitia vel per se, vel per suos Lega-  
tos convenient, qui in tres classes distinguuntur, prima Electo-  
rum, altera Principum, Comitum, Baronum; Prælatorum ter-  
tia Liberarum Imperii civitatum; Civitates n. unum constitu-  
entes corpus in duo latera partiuntur: in die Reineche vñ Schwä-  
bische Band; tamen posterior ordo in numerum solùm suffra-  
gantium, non votantium refertur, Paurmeister. l. 2.d. f. dict. c. 2.Dn.  
D. Arumæus in comm. A.B. quæst. 6.

### XX.

Sed quid est? quod d. J. Sax. l. 3. art. 53. cuius h. formula, § Schend  
des Reichs hat keine Wahl/darumb das er nicht deutsch ist: Electio  
denegatur Regi Bohemiæ licet in numerum Electorum sit ado-  
ptatus, quoniam sanguine Germanico non est cretus; cessante igi-  
tur hujus legis ratione, cessat ipsa dispositio cap. cessante d. R. f. in 6.  
alias si consentientibus suffragiis Electores in unum conspirent,

A 3 reliqui

refiqui tres in alium, potestatem habet Rex Bohemiæ alterutrum ex illis eligendi & in Imperat. evehendi, Petr. de Andl. l. 2, de Inst. Rom. Imperij. c. 2. Schönborn. 5. Polit. c. 33.

## XXI.

Tanta cum effulgeat Electorum dignitas & amplitudo, sunt qui Præfectis Prætorio, Senatus Urbis Romæ, Septemviris Persarum, Ephoris Lacedemoniorum comparare non verentur, quib. non levidensia jura & amplitudines competebant, ut Præfectis prætorio quod Patres dicerentur Imperii & Provinciarū, plenissimumq; imperium in senatores obtinerent, Cujac. ad tit. C. de Off. Præfect. Prætor, Hennig. Gæden. consil. 1. Wes. consil. 46. n. 2.

## XXII.

Quod Senatus Rom. elogia & tituli Electorib. etiam competant, quos Patres Imperii florem & partem meliorem generis humani vetustas appellavit; nec non & Septemviris Persarum quod Judices prudentes patrii Juris & LL. interpretes sint; Hennig. Gæd. dict. consil. 1. Wesenb. d. loco. Ephoris Lacedem. Covarruvias comparat, quod æquè ipsis cura & negotium Reipub. à pop. demandatum fuerit, l. 14. ad Municip. l. 97. d. condit. & demonstr. & facultatem habuerint Regem sibi deligendi & deponendi, l. 1. pract. quest, cap. 1.

## XXIII.

Veruntamen sunt alia in hoc laudatissimo Ordine augustiora quæ prædictis personis & officiis congruunt, ut Præfectus prætorio, qui nuda & imaginaria dignitate saltē gaudebat, nec Senatus Rom. semper eundem honorem habuit, ita ut Tiberium ipsum, projectillorum servitutis voce publicè emissa aliquando puduerit, & sub Leone Imperat. Senatus consulta fieri prohibente Nov. 78. potestas ejusdem Senatus in ipsum Principem translata fuisset videatur, Heig. parte. 1. quest. 4.

## XXIV.

Nec minus Ephori fictitiam tantum fovebant dignitatem; major namque potestas erat penes Pop. cum status Lacedem. magis penderet ad formam Democraticam, & à potentiori fieri debere denominationem, constat ex arg. l. queritur & ibi Dd. de statu homin.

homin. Ephoriq; repræsentabant populum : nec denique Illu-  
striss. Electores sunt comparandi Septemviris Regum Persico-  
rum, qui non Principes, sed Judices prudentes Patrii Juris &  
LL. interpretes fuerunt, *Josephus antiquit. de Judaic. l. 1. c. 6. Brisson.*  
*de Regno Persar. l. 1. p. 89. 95.*

## XXV.

Nec mirum videri debet, si hæc dignitas Regib. comparetur  
ut censet faciendum, *Schrader. d. Princip. Institut. in Proœm.* Si n.  
Præfectum prætorio Regib. assimilare *Theodoric. apud Cassiod. l. 6.*  
*c. 3.* dignum judicavit, si Legati Pyrrhi Regis Rom. Senatum regū  
confessum judicarunt, *Flor. l. 1. c. 18.* imò si Cardinales Rom. Pon-  
tif. eminentiam & gradus amplitudinem Regibus æquiparan-  
tur, *Paleot. Cardinal. de sacr. consistorii consult. part. 5. quæst. 1. p. 266.* cur  
non etiam regalis prærogativa tam illustri ordini ut cæterorum  
Principum sortem multis parasangis anteire videatur, *Heig. part.*  
*1. quæst. 4.*

## XXVI.

Electionem Novi Imper. feliciter auspicando stat potior sen-  
tentia à parte Moguntini Archipræsulis illustris Collegii Prin-  
cipum Electorum, hic cæteros coëlectores suos pro electione  
futuri Cæsaris literis suis patentibus ad oppidum Frankfurt Mo-  
guntinæ Diæcesis quondam à veris Francis & Trojanis fundatum  
evocare solet, *Petr. de Andl. l. 2. de I. Regn. Rom. c. 2. A. B. tit. de Elect. Re-*  
*gis Romanis.*

## XXVII.

Facto amplissimo conventu in Basilica S. Bartholomæi præ-  
missis sacris Moguntinis Archiepiscop. vota singulorum inqui-  
rere & scrutari habet, quo facto cæteros coëlectores ipsum Mo-  
guntinum vice versa requirunt, & votum scrutantur ab eo, ut h.  
omnia in Caroli IV. constitut. A. B. latius declaratis dinoscun-  
tur, *Onuphr. Panvin. de Comitiis*

## XXVIII.

Nullâ autem ratione ex dicta urbe Frankfurt ipsis Septem-  
viris decidere fas est, nisi prius in unum caput unanimiter  
conspiraverint, & dignissimum Imperio Roman. inter novos  
ambientes recentem Aquilæ Roman. Majestatem Candidatos  
ritè elegerint, quod si facere distulerint intra 30. dies ex A. B.  
dispo-



dispositione pane & aqua tam diu alendi, donec voluntates eo-  
rum in unum consenserint, *Onuph. Panvin. d. loco.*

XXIX.

Hujus etiam Collegii illustriss. partes sunt, non tantum ele-  
ctionis negotium moderari & absolvere, sed ipsumet Imperat. ex  
formula præscripta quam Capitulationem dicimus imperio uni-  
verso obligari, ad cuius observantiam vi juramenti Cæsar astrin-  
gitur, quod ex ipsis Juris Sax. verbis lib. 3. artic. 54. §. als man  
den König wehlt/ so soll er dem Reich Hulde thun vnd schweren/ ic.  
colligitur; nec non ex Clement. d. J. jurand. &c. tibi Domine dist. 63.  
confectarium est, Rittersh. in partit. FF. c. 10. nu. 11. Heig. part. 1. quæst.  
4. Schönborn. l. s. Polit. c. 8.

XXX.

Ex quo fundamento colligit Bodinus formam Imperi nostri  
Romano Germanici esse Aristocraticam; verum hac assertione  
argumenti sui 4 tuor terminorum non infringet statum nostrum  
Monarchicum; Nam si hic juramentis quib. se ad observantiā LL.  
fundamentalium astringunt Principes, læderent suam Majesta-  
tem, vix ullus esset Regum, qui Majestatem suam salvam haberet,  
nec ipse Rex Galliæ qui æquè in LL. regni jurare cogitur, teste  
*Hottom. in Franco Gallic. & Aristoteles. 3. Polit. 10.* quosdam ait Reges  
ad Imperium admitti sine juramento, quosdam v. non nisi jura-  
mento præstito.

XXXI.

Valdè ergò lubricum est ex eo Monarchiam nob. denegare,  
quod capitulatione sit certis modis constricta potestas Impera-  
toris; Quin potius si caligine submotâ ad lucem veritatis oculos  
attollere libeat, quorum nexu plerique Regum hodiè constrin-  
guntur *Warem. ab Ehrenberg. c. 11. n. 40. d. Regni subsidiis* ostendunt  
Imperat. in casibus non exceptis jure veterum Imperat. qui pro-  
cul dubio Monarchæ fuerunt uti, *Dn. D. Arumæ. Præcept. & Fau-*  
*tor meus observantiss. in tr. d. I. dict. Rom. Imperii* nec vana ratione Im-  
perat. & Regum potentia loris ac fremis constringere, cum ne-  
mo facilè tanta sit prædictus sapientia, ut possit in summa pote-  
state modum tenere, *Pontanus lib. 3. apud Herodot.*

XXXII. Sic



### XXXII.

Sic ipse Carolus M. Imperat. cui alias absolutiss. erat potestas vivendi, & omnia secundum nutum ac voluntatem in spacioissimo suo Imperio faciendi, juramentum tum temporis Leoni Pontif. præstitisse dicitur, quod in antiquo quodam Commentario, qui Ordo Romanus inscribitur, refertur, cujus hæc formula: In nomine Christi spondeo atque polliceor ego Carolus &c. Imper. coram D E o & B. Petro Apostolo me proteetorem ac defensorem fore hujus sanctæ Rom. Ecclesiæ, Arnis. l. r. d. I. Majest. c. 5.

### XXXIII.

Hinc in dubium vertitur quæstio apud Jurisperitos. Utrum Electores Imperii aliquem Principem non Germanum in Cæsarem eligere possint? Quæ quæstio valdè agitata fuit in Elect. Caroli V. Imperat. ubi Trevirensis mirum in modum partes Francisci I. Galliar. Regis defendit motus, ut arguit Schleid. lib. i. comm. c. i. prognostico vatis cujusdam, qui Maximilianum dixerat ultimum forè Cæsarem Romano-Germanicum.

### XX XIV.

Sed causa dubitandi maxime ex eo prosilit, quod A. B. non vetet, nec primis LL. quib. ad Germanos Principes facta translatio Imperii dicitur, prohibitum extet, quod ergo expressè non mutatum in LL. est, cur stare prohibetur, l. 27. c. de test. & erubescimus sine lege loqui. Nov. 18. c. 15. in pr. constat etiam ante Caroli IV. designationem Alphonsum Castiliæ Regem & Richardum Cornubiæ Ducem, postea Edvardum ex Anglia ad sceptrum Germani Imperii esse vocatos, Heig. part. i. quæst. 5.

### XXXV.

His non obstantibus cum meridiana luce clarius sit translationem Imperii à tempore Caroli M. ad Germanos factam esse activè & passivè, ut loquitur Panorm. in c. venerab. d. Ele. consecrariū est ea intentione dispositam esse, ut axioma Imperii sacri semper & in perpetuum penes Germanos elucesceret, Pet. d. Engl. l. 2. d. Imper. Rom. c. 3. nec longè ab hac ratione aliorum eligentium communis forma discedit, ubi in c. nullus dist. 61. c. metropolit. dist. 37. d. Elect. ritè sancitum est, de gremio Ecclesiæ Episcopum esse

B

eligen-



eligidum, etiamsi alibi digniores reperiantur; quod si hoc in simplicibus Ecclesiasticis beneficiis & minoribus regnis valet; multò magis in tam illustri majestate valere debet, *Innocent. Gentil. in Comment d. Regno. part. 1. thes. 3. Heigius part. 1. q. 5.*

### X X X V I.

Postquam hoc modo Imperat. legitimè electus est, proceditur postea ad inaugurationem Aquisgranum, qui locus ex more vetusto ad peragendam sacram coronationem destinatus videtur, ita ut Carolus V. Imperat. jus loci mutare nolle ex constit. A. B. etiamsi pestis ibi grassaretur, *Schleid. l. 1. comm. c. 1. communiamen consensu Imperat. & Electorum ex necessaria causa mutari posse hodiernum exemplum D. Matthiae Imperat. edocet.*

### X X X V I I.

Tripli Corona novus Imperialis Candidatus inauguratur; Argentea primùm Aquisgrani ab Archiepiscopo Coloniensi, non verò Trevirensi, ut putat *Schönborn. l. 5. Polit. c. 9.* cui primum officium Regi Diadema imponere competit ex A. B. t. 4. cum olim id quoque Moguntino competenter attestante *Rittershus. in notis ad Günther. l. 6.* Ferrea deinde regni Longobardici propria Modaciæ propè Mediolanum ab Archiepiscopo Mediolanensi consecratur; Aurea deniq; Romæ à Pontifice coronatur, quorum solennitates describit *Jovius in Car. V. coronat. Onuphr. Panv. d. Comit.*

### X X X V I I I.

Ad exemplum supremi terræ cœlique Monarchæ his tribus coronis *Hieronym. Balbus Episcop. de coronat. Imperat. nostrum ornat. autumant;* Argentea, *ut Zach. 5. Sumes* inquit, argentum & pones in capite Jesu; Ferrea, *ut in libro Regum sub imagine Ecclesiæ,* qui ferream sibi fabricavit coronam; Aurea, *ut in Apocalypsi,* Vidi, inquit, super nubem filium hominis habentem in capite suo coronam auream, *Chassan. in Catal. glor. mundi. confid. 27.*

### X X X I X.

Aliud nec illepidum agitatur commentum, Imperat. scilicet tripli corona insigniri, ideo quod sit totius mundi Dominus, qui in tres plagas mundi dispercitur; Dominature enim Asiae, *l. fin.* C. de tempor. appell. Africæ *l. 1. d. off. præfect. prætor. Afr.* Europæ, *l. 2.* C. de Appell. Zolanett. in tract. de Rom. Imper. num. 248. *Schneidw.* d. feud. part. 3.



part. 3. n. 61. Unde non de nihilo scribit D. Thomas, Imperat. trahere nomen à supremo Domino, quasi omnium Dominum, & qui ei subesse recusat, omni succedendi jure, legitimisque hereditatibus privatur, c. jus. Quiritium. dist. 1.

XL.

Allegoricè hanc triplicem coronationem quidam enodant, Imperatorem ajunt primum argentea coronari, ut intelligatur se oportere esse purum, nullaq; macula conspersum, exinde veteres vocarunt argentū purum putumque; Deinde Ferro, quod designat, tantum virium ei inesse debere, ut in Longobardia hostes devincat, totamq; Italiam ex infestissimorum tyrannorum manibus eripiat, l. In nomine Domini. C. de Off. præf. prætor. Afr. postremum Romæ auro insigniri, quia sicut aurum perfectiss. est ac pretiosiss. metallor. ita Imperat. in urbe Roma, quæ est Imperii caput supremum assequitur perfectionis gradum, & excellentiam super omnes Reges, l. i. C. de Off. præf. augur. Schyridw. in Proemio Inst. cum ibid. allegat.

XLI.

Solennitatibus & ceremoniis plurimis, quæ ad h. sacratis. opus accedere solent siccо pede præteritis, & quarum latissimè Constitutio Carolina facit mentionem, ad talem quæstionem ordimur; An vi solius electionis Cæsari competit Jurisdictio, an v. tum demuin, si subsecuta fuerit Papalis coronatio? Paupermeist. de Jurisd. l. 2. c. 3. Schönborn. l. 5. Polit. c. 7.

XLII.

Suffraganei non pauci hoc rerum statu adhuc erectis stant animis, qui autoritatem Papalem mirum in modum, ut in aliis sic in præsente casu extenuant, in primis verò Hostiensis Cardinalis in c. super quib. de V. S. & in c. f. quis filii sunt legit. nec minus Spec. Joh. Andr. qui omnem movent lapidem, ut id nob. omnino persuadent; nec solum autoritate sacrorum Canonum pugnant, sed argum. quoq; jacula in repugnantes retorquent; non potest, inquiunt, esse perfectum, cui particula aliqua deest. Aristot. 5. Metaphys. c. 15. sed dum negligitur & superciliosè quasi despicitur coronatio atq; inunctio, cæteraq; solennia Pontificis pars aliqua Imperiali fastigio deest, non est igitur perfectum,

B 2

XLIII. In-



XLIII.

Insuper nemo quippiam agit, molitus, antequam oriatur, & sit, l. ul. ff. d. collat. honor. sed Imperat. in coronatione dicitur ori- ri & sic incipere esse, l. omnes, ff. d. fer. ibi vel ortus Imperij protulerunt, ubi gl. id est, coronatio. Petr. d. Andl. l. 2. de Imper. Rom. c. 5. Hieronym. Balbus d. coronat.

XLIV.

Præterea, ut in naturalib. una quæq; tria continet, substanciam, virtutem, actionem, quæ adeò invicem cohærent, ut actio non nisi à virtute profiscatur, nec virtus, nisi à substantia, Aver- roes. 7. Metaphys. 5. Electio autem locum substantiæ tenet, confirma- tio virtutis, administratio actionis; ex quibus necessariò effi- citur, ut Imperat. ex sola electione administrare non possit, nisi prius confirmationis virtus accesserit.

XLV.

Hæc omnia qui jura Imperii labefactare student, quasi pal- pum nobis obtrudunt, adversus quos nulla certior victoria est speranda, quæ si eos suo quemq; gladio jugulemus; in primis nobis herbam porrigerem necesse habent in hoc, quod Ponti- fex antequam coronetur suo officio per omnes numeros fungi solet, c. licet. d. elect. & ele. potestate, quin imò si quis eo prætextu li- teras Pontificias oppugnat à sacris mysteriis, ut impius & pro- phanus arcetur, ut in extravag. Benedict. XI. quæ incipit, quia non nulli, habetur; Hoc si valet in Pontifice, quidni in Imperatore; cum Imperat. sit Dominus totius Orbis, gl. in c. Adrianus dist. 63. & præferatur Pontifici in l. gloriofiss. C. d. Summ. Trinit.

XLVI.

Quid v. in re planè tantum operæ ponimus, cum certiss. Ca- nonum interpres Innoc. omnem nobis scrupulum ex animis ex- emerit in c. venerab. d. ele. sic scribens: Credimus, inquit, quod si Im- perat. coronam in loco debito accipere non possit, nihilominus authoritatē dministrandi ab Archiepisc. Coloniens. possit re- cipere, vel sua autoritate, quam habet ex electione sine ulla coro- natione ministrare, Hieronym. Balbus de coronat.

XLVII.

Quilibet Pop. carens Rege, potest sibi Regem de I. gent. eligere  
l. ex



*I. ex hoc jur. ff. d. f. & f. & talis electus est vestigio non tantum sit  
Rex ; verum & jura & bona illius regni potest administrare.  
Sic Principes Electores ratione jam dictæ institutionis habent po-  
testatem eligendi Imperat. representantes in hoc omnes Prin-  
cipes & Pop. Germaniæ, Italiæ, & aliarum Provinciarum reco-  
gnoscentium Aquilam Romanam ; posito ergo illo quod exerci-  
tus d. I. gent. faciat Imperat. c. legimus dist. 93. conclusionem nobis  
suppeditabit regula ex electione hujusmodi licet nomine ac re-  
ipsa Cæsar. Roman. regna, jura ac bona. SS. Imperii administrare  
non verebitur, Lupold. d. Bebenburg. d. Jurib. reg. cap. 5. & haec sen-  
tentia aperto fundamento Carolinæ constitutionis nititur. tit. 2.  
d. elect. Rom. Regis. §. ult.*

### LXVIII.

Autoritas Imperat. etiam cum tanta sit, ut qui ausit ipsorum  
placita in dubium vocare sacrilegium committere dicatur, l. 3. C.  
de crimin. Sacrileg. videndum itaque quid hoc in genere ipsi Imper.  
senserint Maximilian. I. in Comitiis Constantiæ Anno 1507. cele-  
bratis, dignitatem & autoritatem prorsus ex arbitrio Princi-  
pum Germaniæ dependere palam professus est, Guiccia. l. 7. f. 244.  
Bodin. l. 1. d. Repub. c. 10.

### XLIX.

Sic & Imperat. Fridericus audacter respondit ; Quicunque  
nos Imperiale coronam pro beneficio à Domino Papa susce-  
pisse dixerit, Divinæ institutioni & doctrinæ Petri contrarius  
est, & mendacii reus erit, Radevit. d. gestis Frider. i. l. 1. cap. 10. Arnif.  
d. translat. Imperii. c. 7. Knichius in velit. Apologetic. p. 31.

### L.

Denique si coronatio Papal is tantæ esset efficaciæ & potesta-  
ris, ut electus in regem Rom. absque illius confirmatione non  
posset subsistere, nec Imperii negotia realiter administrare, sa-  
nè hunc coronationis ritum tam multi Imperat. neutquam  
intermisserint. Constat enim Rudolphum I. Albert. & Maximil. I.  
Ferdin. & Maxim. II. Rudolph. II. & jam superstitem D. Matthi-  
am Imperat. legitimè expedita electione plenum jus obtinuisse,  
Paurmeister. d. I. Elect. Rom. Imp. l. 2. c. 4. & quamvis fruatur tit. Ro-  
man. Imper. non tamen exinde sequitur, ut de necessitate sit



Ipsum Romæ coronari, cum Roma censeatur esse, ubi Imperat, est, & ubicunque est Rom. Pontifex ibi Roma, ubi Helena, ibi Troja, Innocent, in c. ecclesiast, de except. c. accusatum. d. Simonia. & Imperium non in loco aut Italiae occupatione fundatur, Heigius parte 1, quest. 2. Alber. Gentil d. l. belli. l. i. c. 23.

### L I.

Absolutiss. Electores Principes in Imperio Rom. habere potestatem libera electione eligendi Imperat. eumq; ad observantiam LL. imperialium coarctandi dicimus; has ipsas v. si non observaverit æquè potestatem habere deponendi & calum substituendi asseveramus; cumq; ejus sit deponere, cuius eligere arg. l. 3. d. rejudic. & qui habet jus conferendi, habet etiam distituendi, Panorm. d. Clericis. c. 4. consentit epistola Zachariæ Papæ ad Gal. Jos de abdicando Childerico apud Arent. 3. Annal. Bojor. regem plebs constituit, eundem etiam destituere potest, Dn. Frider. Hortleder Fautor meus observantiss. in disp. ad Schleid. th. 9. Arnis. l. i. de Jur. Majestatis. cap. 6,

### L II.

Estq; ea similis consuetudini vetustæ, qua Imperat. à Sanatu fuerunt judicati hostes, quæ poena fuit, ut cervix insereretur furcæ, corpus virgis ad necem cederetur, Sueton. in Neron. c. 45. Fortè etiam illi poenæ æquiparari potest, qua quis Jure civili à gradu & dignitate dejicitur, l. aut damnum in pr. ff. de pœnis,

### L III.

In quam poenam incurrit olim Adolphus de Nassau Imper. qui ab Electorib. homicidii, stupri in virginem, socordiâ, negligentia perjurii insimulatus est SCto., ut ait Aventinus l. 7. de fastigio turbarunt; similiq; autoritate paulò post contra Wenceslaum à Patre optimo Carolo IV. Imperat. natum filium degenerem, ignavum & inertem, minusq; ad clavum Reipub. Romanæ auguste torquendum aptum natum usi, Paurmeist. de Comitiis. Arnis. de Jur. Majestatis. l. i. c. 6. Raphaël. Volat. l. 32. Cuspin. in Wenceslav, Bodin. l. 2. de Repub. cap. 5.

### L IV.

Et hic alas procul extra nidum Pontifex Rom. extendit, quidve quisq; Regum dignitatis habet, à sua manu petendum clamat;

Rex



Rex aliquis sit annon suæ censuræ etiam, sui arbitrii, ad se pertinere transferre regna de gente in gentem, quippe qui sit vicarius Dei in terris, sed malè? nec nos fugit quantoperè olim in Imperat. Reges & Principes syllatur riverit, & ex communicatio-  
nis fulmine levi sæpè ex causa percusserit, quæ omnia de facto  
tum temporis obtinuit, Arn. l. i. de Jür. Majestatis c. 4.

L V.

Ex Imperat, octo reperimus excommunicationis fulmine  
esse tactos, ex Regib. Gallorum quatuor; ex Regib. Angliæ duos;  
Ladislaum Regem Ungariæ Alexander V. regno exuit Plat. in A-  
lex. Ungariæ namque regnum feudis Ecclesiasticis ex sententia  
Clericorum annumeratur, in Catalog. Feud. Eccl. idq; feudatarium  
D. Petro factum vult August. Steuchus in lib. de donat. Constant. à Ste-  
phano I. Georgium Bohemiæ Regem quod Hussiticæ religioni  
favere videretur Pontifex nudavit omni Ducali, Marchionali &  
regio honore, subditosvè à fide ipsi data liberavit, Bonfin. Dec. 4.  
lib. 1. & 3.

L VI.

Prolixiores essemus, quam hic locus exigit, si omnia ambi-  
tionis Pontificiæ exempla, quæ alibi latius recensentur & refu-  
tantur infarcire vellemus. Non ergò ferenda est illa Pontificalis  
insolentia, quod sibi degradandi licentiam sumat c. 2. de sentent. &  
rejudicat. c. aliis. 13. q. 6, cum verè illud obtinet quod Zasius in l. non  
ambigitur. d. LL. dicit. Papæ non competere jus deponendi Imper-  
quia neq; eligendi potestas ipsi de jure competit.

L VII.

Attendendum similiter quam hac in paree Frid. I. Imp. ferat  
sententiam, & qualiter Rulando Legato ab Adriano Papa ad se  
misso respondeat; Faceant, inquit, Legati à conspectu nostro,  
& via qua venerant ad Pontif. suum redeant, eumq; cogitare de-  
portanda cruce Domini potius, quam de regnis tradendis, adi-  
mendis, transferendis jubeant, præsulem se & sacrorum antisti-  
tem, non augustum esse sciat. Rittershus. in Orat. Frid. I.

L VIII.

Restat, non esse quod gloriatur Roma quasi beneficium  
in Germanos Principes contulisset, cum eos accersivit; quin-  
potius beneficium ipsam Romanam ab illis accepisse, cum diu-  
turnis fessa malis opem ac defensionem Francorum imploravit  
& im-



& impetravit liberata per eos tyrannide Berengarii & Desiderii,  
nec sibi arroget jus aut eligendi vel renunciandi honori Impera-  
torio, cum præsul Rom. maximè pendeat à nutu & voluntate  
Imperatoris, c. Victor Honorius dist. 96. c. nos si in competent. 2. q. 3. l.  
Victor. C. d. Summ. Trinit. & d. l. gloriosiss. ibid.

### LIX.

Quid juris Electores Principes habeant in electione & degra-  
datione Cæsaris *čv παρόδω* hactenus delineavimus, habitâ jam  
ratione ordinis, qui monstrat cohærentiā antecedent. & cōseq.  
facitq; ut omnia sint plana & perspicua Arist. 2. Analyt. c. 13. Anton.  
Peregr. d. I. fisci. l. 1. tit. 1. n. 2. potestatem Electorum extra Imperii  
electionem considerabimus,

### LX.

Insignis sanè est autoritas Electoralis Collegii tūm in Comi-  
tiis, tūm particularibus conventibus; prius soli Imperatori de-  
Jure velut supremo Monarchæ competit in hoc, ut convocet sta-  
tus Imperii, accedente tamen Electorum suffragio, secundum  
LL. Cæsari in electione præfiguratas Decreto Spirensi Anno  
1507. S. Haben wir ein gemeine Reichsversammlung nach vorgehab-  
tem Rath vnd gutachten vnser vnd des H. Reichs Churfürsten /  
Paurmefst. l. 2. d. I. Elect. c. 3. Schönborn. l. 4. Polit. c. 33. alterum peculia-  
riter Electoribus concessum est, ut ipsem et absq; specialis venia  
imperiatione conventus pro salute & incolumitate Reip. in Ger-  
mania indicere possunt, Paurmefst. & Schönborn. d. loc. Heig. parte 1.  
quest. 4.

### LXI.

Cæteris verò Principibus minoribus jus celebrandi Comi-  
tia nullatenus esse concessa, elucescit ex conventu Noribergensi  
Anno 1524. ubi Carol. V. non injuria accusavit Principes Germa-  
niæ, quod sine autoritate Imperat. novum conventum Spiram  
indixissent, Schleid. l. 4. cum jus indicendorum Comitiorum inter  
jura Regia reponatur, Arnis. lib. 1. d. I. Majestatis. c. 2. & l. 2. c. 4.

### LXII.

Post mortem Cæsaris vacante Imperio Electori Moguntino  
tanquam Decano Septemviralis Collegii indicendi Comitia  
consti-

constitutione Carolina permisum esse minimè ambigitur; an v.  
idem quoq; liceat superstite Imperat. ut autem *Onuphr. Panv. de  
Comit. tit. 7.* graviter patrum nostrorum memoria in electione  
Ferdinandi Imperat. controversum fuit; verum quod non liceat,  
arguit interlocutio Joh. Electoris & Ducis Saxonie, qui miss  
filio Johanne Friderico ad conventum Colonensem, Mogunti  
no Electori antequam rem cum iis communicasset integrum  
non fuisse contendebat: quæ res transactione Spirensi Ann. 1544.  
tandem sopia est, in triste atque funestum bellum abiit, *Dn. D.  
Arumæus Praecept. meus honorandiss. comm. A. B. quest. II.*

#### LXIV.

Nec ab hoc scopo alienus est Pontif. Rom. suam qui pleni po  
tentiam velut ex altissima pharu dependere somnians, vacan  
te namque Imperio Rom. vel alio regno superiore non reco  
gnoscente administrationem interim ad se pertinere, & tam de  
causis Feudalib., quam aliis pertinentibus ad cognitionem Rom.  
Imperat. cognoscere debere validè affirmat, c. licet. ex suscep<sup>t</sup>a & ibi  
*Panormit. & Dd. extr. de foro, compe. Clem. pastoral. S. f. de sent. & reju  
dic. in 6.*

#### LXV.

Pontificem Rom. hac quoq; ex parte nil habere juris contrariū  
docet A. B. lex fundamentalis, quæ strictissimè est accipienda,  
*gl. in l. 3. §. b. ec verba. ff. de N. G. ubi sub Rubr. von Rechten des Pfalz  
grafen vñ Herzogen zu Sachsen expressè cautū est, quod vacante  
Imperio Palatinus Rheni Elector possit pleno jure exercere  
judicia, præsentare ad beneficia Ecclesiastica, colligere redditus,  
investire de feudis, juramenta fidelitatis vice & nomine Imperii  
recipere, feudis Principum duntaxat exceptis, & illis quæ Fahns  
Lehn vulgo vocantur, quorum investitura & collatio soli Imperat.  
reservata est, Vasq. illustr. quest. I, 1. c. 22. Schrad. part. 10. de feud. sect.  
I, num. 174.*

#### LXVI.

Eodem jure Administrat. Saxon. Dux fruitur in illis locis, ubi  
observantur jura Saxon., & ratio videtur militare, quod is defen  
sor singularis constitutus sit J. Saxonici, ut post *Wes. Albinus Hist.  
Misnens. parte 1. tit. 16.* meminit; & comprobari ex eo potest, quod

C

jus



jus Sax. hisce terris jam olim peculiariter concessum, & subinde ipso rerum usu & seqq. Imperat. concessionē auctum & confirmatum legimus, in quo non Caroli M. tantum, sed Ottonum, Heinricorum, Lotharii, Friderici & peritorum quorundam ejus juris beneficio Saxones debent plurimum, ut est in præfat. Specul. Sax. Landrecht & Weichbildt.

### LXVII.

Singulariter in hoc etiam Palatinus Comes, Elector de core quadam privilegii videtur cohonestatus, quod sit Judex Cæsar, coram quo Imperator. Majestas in judicio statre tenetur, A. B. in f.t.s. exinde pariter male inferr Bodinus, Cæsarem non censemend Monarcham, quia coram Comite Palatino, ut inferiore conveniri potest; verū in J. Feudali ita decisum invenimus, ut sive Imperat. sive Pontifex, sive Rex, sive Dux quicunq; feudum ab inferiore recognoscit, illius Jurisdict. se submittere necessum habet, c. nos si incompet. 2. quest. 7. gl. l. est receptum. d. I. dict.

### LXVIII.

Non autem ita hic intelligendum quasi Imperat. noster esset vasallus Electoris Palatini, sed quod hoc modo in constitutione Carolina sanctum inveniatur; ipse igitur Cæsar deposita, quodammodo Majestate de sua causa Comitem Palatinum Electorem judicare jubet, & sic J. civili receptum est, eoq; jure utimur, ut si quis major vel æqualis subjicit se J. dictioni alterius, possit ei & adversus eum jus dici, l. 14. de J. dict.

### LXIX.

Eodem modo & in conventione inita inter R. Bohemiæ & Marchiones Brandenburgicos cautum est, quod lites sive controversiæ motæ inter R. Bohemiæ & Brandenb. coram Consiliariis ex utroque latere ad hoc deputatis ventilari & determinari debeant; in contractibus namq; Principes eodem jure utuntur, quo privati, l. Cæsar. 15. de publican. l. de contractu. 3. C. de rescind. vendit. c. i. de natur. feudi.

### LXX.

Rex Bohemiæ pari modo respectu Silesiæ subjicitur judicio superiori Uratislaviensi, & respectu Ducatus Glogoviensis Paribus Curiæ istius Ducatus Schrad. part. 10. de Feud. sect. 1. num. 53.

Electores



Electores Saxon. coram supra sua Lipsensi curia Electorali se-  
se, convenire patiuntur; Archiduces Austriæ, cum sint immunes à  
Jurisdictione ortis controversiis aliquem è suis Vasallis judicem con-  
stituunt, coram quo convenientur & jus accipient, *Cuspin. in Au-  
striac. p. 37.*

### LXXI.

Jus appellationis recipiendæ, quæ altera libertatis tuendæ arx  
à Livio appellatur i. 3. quamvis & hoc supremæ potestatis sit pro-  
prium, adeò ut nullo tempore jus illud à Duce, Comite vel Mar-  
chione ne ab illo ad Principem, cui subest, provocetur, præscribi  
posse putet *Covarr. pract. quest. c. 4. n. 1.* tamen privilegium de non  
appellando primū concessum est Electori Saxon. ex A. B. De-  
inde Sigismundi Imperat. beneficio, tertio idipsum plenius con-  
cessum à Ferdinando Cæsare, Anno 1559. reliqui contrario usu  
perdiderunt, nec ita quidem Brandenburgicus per concessionem  
Imperial. recuperavit, *Reiger. in thesaur. Juris. Heigius part. I. q. 4.*

### LXXII.

Quo jure utebantur olim Præfecti prætorio, à quorum sén-  
tentia appellatio non dabatur, *l. un. §. 1. de off. præfect. prætor. l. un.  
c. de senent. q. f. prætor.* adeò ut Ennapius Præfecturam præatoria-  
nam instar Imperat. dignitatem se habere dixerit, nisi quod pur-  
puræ trabævè usu caruerit, *Wesenb. in Paratit. à quib. apell. n. 3. Peu-  
cer. 5. Chron. p. 1003.*

### LXXIII.

Non igitur fas est Subditis territorii Saxonici tentare pro-  
vocationem ad aliena judicia: alias illis à malè informato ad eun-  
dem melius informandum permitti solet provocatio. *I. Ayer. in  
process. c. 4. obs. 4. n. 22.* dignum namq; quod Princeps sibi persua-  
sum habuerit, eos, qui ob singularem industriam explorata eorū  
fide & gravitate ad hujus officiū magnitudinem adhibentur, non  
aliter judicaturos esse pro sapientia ad luce dignitatis suæ, quam  
ipse foret judicaturus, *l. un. §. 1. ff. de off. præf. prætor.*

### LXXIV.

Archiduces Austriæ inter cætera sua à variis Imperat. impe-  
trata privilegia etiam hoc habent const. Frid. 1. & 2. Das von jnen  
an einen Römischen Keyser vnd König noch an des Reichs Kam-

mer-

mergericht / oder ander Gericht nicht appellirt / supplicirt noch redimiret werden kan / Item : das sie vmb keiner Sachen schuldig seyn vor dem Reich zu raht zu stehen / sie wollen den gerne. Constit. Carol. V. Von Gerechtigkeit des Haß Oesterreich. p. 10. quam Cuspin, promulgata m dicit in Austr. in Comitiis Wormat. 1522.

### L XXV.

Commodissimè circa finem quæri potest, An Imperat. fas sit vi supremæ Jurisdicç. immunitatem à collectis Turcicis pro placito potentibus indulgere? Et quidem cum harum remissio universo præjudicet Imperio, jura enim regia non solùm pro sustentatione Regis, sed ad onera quoq; publica supportanda destinata sunt, Luc. de Penna. l. 2. C. de omn. ag. desert. n. 2. alteri n. jus suum auferre nulla juris patitur ratio, arg. l. meminerint, C. unde vi, ne quidem ex plenitudine potestatis, Gail. 2. obs. 56. Vasq. Controvers. l. 1. c. 1.

### L XXVI.

Decidendum itaque cum Privilegia Principis in præjudicium tertii nequaquam interpretanda sint; licet quidam Principem pro libitu contra jus dispensare & mutare quadrata rotundis posse assueverent; ast insanientium magis, quam Juris prudentium loquela non immetit appellat Valec. d. I. Emphyt. q. 8. n. 34. non nisi ex causis justis id facere posse, Thom. Mich. disp. de Jurisd. Roman. Imper. th. 27. cum quo libet etiam hanc præsentem dissertationem secundis ventis finire.

---

### COROLLARIA.

- I. An magis è resistivere sub jugo Turcico, an Ponitificio?
- II. An de utilitate Christianæ Reipub. sit ad multos annos cum Turca Inducias facere?
- III. An Regnicolæ recipere teneantur Duce exterrum cum ipsis habeant digniores & meliores?
- IV. An Principes Christiani inscio Imperat. possint cum Turca inire fœdus in præjudicium alterius cujusdam Principis Christiani?

F I N I S.






Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-594984-p0027-3

DFG




AB:154464

(X2618616)

R

V317





**Farbkarte #13**

